

succederet, terroribus Ecclesiam percellere aggressi sunt, ut nisi omnia dissensionibus commoveri, & quodammodo pessumdari mallet, susciperet novitatem, aut disseminari impunè sineret. Sic de Pelagio testatur Franciscus Simonis parte 2. de fraudibus hæreticorum, fraude 10. quòd licèt pertimidus ille, mutus, atque elinguis, tamen in hoc similis fuerit Luthero, qui *discipulos sibi adjunxit ingenio acutos, styloque promptos, audaciâ præcipites, mendaciis confutos, maledicentiâ formidabiles, quibus si innuisset modò, prosilierat illico è prælo typographico quiddam paginarum ad probum optimi cuiusque viri, quem ille designasset, aut nè designasset quidem, si modò Luthero esset adversatus.* De hoc Cochlaus in actis Lutheri ad annum 1518. Lutheri, inquit, *miserta Poëtarum, Rhetorumque docta cohors, & in adversarios ejus odio accensa, impigrè pro eo, & linguâ, & calamo decertabat, causamque ejus laicis commendabilem reddebant, ac variis cavillis, & inæctivis Prælatos Ecclesiæ, Theologosque perstringebat, incusans eos avaritiâ, superbiâ, invidia, barbariâ, & ignorantia . . . . cumque valerent non solum ingenio, & acrimoniâ; Verùm etiam elegantiam sermonis, sive loquendum, sive scribendum esset, facile traxerunt laicorum animos in favorem, commiserationemque Lutheri.* Ita Cochlaus. Quæ referens Franciscus Simonis, loco citato ita prosequitur: *Petulantissimorum hominum vestigia servant impressa hodieque volumina Lutheri. His Epigrammata, Satyras, ludosque omnis generis sarcasticos in Sorbonam, in Lovanienses, in Colonenses Doctores, in Alean-drum, in Eckium, aliosque Theologos, in Religiosos Viros, in Romanum Pontificem, videns inspersa, ferè tacitis Authorum nominibus.*

Ita Lutheranorum paucis profuerit Leonis X. Constitutio: hanc & quascunque ejus Apologias exploferint factiosi, quorum Epigrammatibus, Satyris, ludisque omnis generis sarcasticis turbati sint debiles, fortè & nonnulli perversi; pax, & quies publica concussa; ideone dissimulanda Ecclesiæ fuit sceleratissima hæresis, & universos perdendi libertas ei, atque impunitas concedenda? Non defuere magni nominis Scriptores, & inter hos Eminentissimus Pallavicinus, in Concilii Tridentini historia, qui nimiam in Rectoribus Ecclesiæ longanimitatem incusent, quâ factum sit, ut Lutheranæ hæresis vires, occasionemque ceperit pervertendi plurimos, ac numero sequacium, potentiaque nimium aucta, insultare ausa sit potentissimo Imperatori, Apostolicæ Sedi, atque Ecclesiæ universæ. Si ab annis triginta, & amplius omnes isti, qui modò feriuntur, nefandi Ob-

servationum articuli, ad inferos, unde emerferant, remissi Pontificio anathemate fuissent, non tam multos improvidos Lectores veneno infecissent mortifero; non tot sibi vindices concivissent, ac patronos; non tot clamores, & refractarios passa fuisset proscriptio. Sed & tota Janenistarum Secta, si ejus perfidiæ magis Episcoporum, & Principum studia invigilassent, omnes legitimè suspectos, ut cum Judæis, Lutheranis, Calvinianis agitur, ab omnibus exclusissent officiis, ac beneficiis acquirendis, & nulla ratione debitis, fortè non eò usque malum invaluisset, ut desperata ejus curatio videatur, dubiumque pluribus appareat, an non dissimulanda potius nova hæresis sit, nè tantis Ecclesiæ concutiatur procellis.

Verùm quis Sapiens, seu corporum, seu animarum Medicus censebit, ubi partem gangræna invaserit, unctionem esse necessariam, quæ, si non juverit, partem potius quocunque totius corporis dolore rescindendam, quàm permittendum, ut malo latius diffuso, unius partis corruptio cæteras secum in certissimum pertrahat interitum. Si Ecclesiæ furorem hæreticorum verita, nihil contra eos definiat, errores à Fidei veritatibus non discernat, hæresis à simplicibus pro fide suscipietur, & qualis tandem apparebit Ecclesiæ ex omni quodammodo hæreticorum colluvie coalescens? Similis nempe Romæ veteri & infideli, quæ nullam dicitur respuisse falsitatem! Atque hæc quidem hæreses damnandi necessitas communis est; specialis verò ratio exigit proscriptionem illius, quæ pietatem, sanctitatemque mentiens, ad fallendum, & nocendum magis idonea est. Detrahenda illi necessariò religionis larva est, ac detegenda palam turpitudine, nè fallax species incautos decipiat, nè insultare Ecclesiæ pergat Novatorum hypocrisis, quasi illa in tenebris miserè cespitans, & vitiorum squallore obsita, ab his meliorem Fidei, morumque normam debuerit edoceri. Rectè Origenes hom. 7. *Juxta mei quidem animi sensum, multò nocentior est hæreticus bonæ vitæ, & plus in doctrina sua habet authoritatis eo, qui doctrinam conversatione commaculat.* Idcirco caveamus hæreticos, qui conversationis optime sunt, quorum fortè vitam non tam DEUS, quàm Diabolus instruxit; nam quomodo quasdam illecebras escarum aucupes proponunt, ut facilius aves capiant per oblectamentum gula, sic (ut audaciùs dicam) est quadam castitas Diaboli, id est decipula humana anime ut per istiusmodi castitatem, & mansuetudinem, & justitiam possit faciliùs capere, & falsis sermonibus irretire.

Quamvis igitur nulla hæresis ab Ecclesiâ toleranda sit; major tamen est necessitas illius dete-